

---



---

 EXCURSUS.

Quamuis ante Lucianum essent, qui de ratione historiae cogitarent, et in his quidem Cicero, qui in libro maxime de Oratore II, 12 — 15. nonnulla praecepta dedit historico seruanda; quamuis in praestantissimorum historicorum scriptis, quibus Noster etiam usus est, multum adiumenti iis esset allatum, qui in tradendis rebus gestis operam suam essent collocaturi: magna tamen et attentione et laude Lucianus mihi dignus esse videtur, qui hanc artem peculiari libello, primus, quantum constat, pertractare ausus est. Occasio huius scriptio- nis, et totius libelli descriptio, partim ex ipso opere, partim ex iis, quae praemissi, patet. Iam vero pauca adiciam, quae iuvenes in iudicio de hoc opere ferendo possint adiuuare.

Definitionem historiae omisit auctor, quam tamen dare debuisset, si et regulis eius quae a ratione suscipitur institutionis parere, et sibi omni ex parte constare voluisset. Quantum tamen ex tota tractatione coniecere licet, satis latam historiae notionem animo comprehendit. Quum enim eos etiam scriptores, qui aperte significauerant, se falsa esse conscripturos, in historicorum numerum referret; quid? quod eum historicis annumeraret, qui futura conatus esset diuinare: probabili coniectura efficitur, historiam omnino spectatam ei fere nihil aliud fuisse, quam narrationem de rebus, siue fictam, siue veram. Etsi enim ipse rectius de vera et laudabili historia sentiret, ita, ut omne, siue in rebus gestis, siue in locorum descriptionibus, siue in laudationibus, mendacium respueret; etsi eo iam peruenerat, ut vnicum historiae finem proponeret, utilitatem, delectationem vero, si adesset, non impro- baret, sin abesset, non valde desideraret; quamuis de-